

destructus est, eiusque reliquiae appropinquante vere in minorem illum academiae proprium transportabuntur. Occupamur, Oederus et ego, amici inseparabiles, iam rebus politicis, hisque tam mihi quam illi vita consumenda videtur. Ille nuperrime locum obtinuit in commissione sic dicta, quae etiam nuperrime a Rege clementissimo instructa est, vt rem rusticam rusticorumque miseram sortem meliorare et emendare curet; dicitur nobis haec General Landvæsens Commission. Characterem praeterea Consiliarii a Financiis (Finance Raad) ipsi concessit Rex, et salarium 1000 Thalerorum imperialium dedit. Me quod attinet, ducenti Thaleri, quos antea habui, mihi conseruati sunt, et iisdem rebus, quibus Oederus, occupor, ei ad manus semper futurus, usque dum munus aliud maiori cum salario mihi ex promissis Regiis, hisce primum diebus datis, traditum fuerit.

Oederus aetatis elapsi partem inter rusticos inoculationi huius pestiferae, quae pecorum integros greges deuastat, plantisque in floram colligendis dicavit; prius quidem minori cum successu factum est. Litterae ad Koenigium mittendae nimis sero ad me veniebant, naues enim Indiam petentes iam erant in itinere; prima vero occasione eas transmittam. Boracis ortum a Koenigio detectum esse, mihi non notum est, pro certo vero heic affirmatur, esse eum artis, non naturae productum. Muscum Noruegicum seminibus ex alis foliorum, quem depinxit in Flora Oederus, nec viuum nec siccum vidi; singulare certe est. Fabricius noster hodie, dum frigus intensissimum est, Holsatiam petiit, nuptias ibi celebraturus. Principis vestri heredetarii Medicus et Archiater Dahlberg apud nos fuit, eiusque conuersatione eo praesertim delectabar, quod de TE TVISque cum eo loqui possem. Ultimum denique mitto semina pauca, at omnia quae colligere potui, sperans optansque, vt nec grata tantum TIBI sint, sed et gratissimi mei animi, numquam eorum, quae TIBI debeo, immemoris, praebeant documentum. Seruet TE Deus incolumem, in scientiae, patriae, Tuorumque emolumentum; hisce TVIS, vxori, filio filiisque me commendes quaeso. d. 12. Ianuarii 1771.